



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

1. De Euangelio Dominica: De Iudæorum legatione ad Ioannem. Ioan. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

tiz & gloriæ nobis à Christo proveniente cum gratiarum actione lætandum? quàm ardentè Christus caput nostrum, fons omnium charismatum à nobis mèbris suis, quæ tam tenerè diligit, redamandus? Affectus gaudij, gratitudinis, amoris hinc subdendi.

4. Heb-
domadæ
Aduen-
tus.

Dominica IV. Aduentus.

De Iudeorum legatione ad Ioannem.
Ioan. I.

I. I. **C**ONSIDERA quanti æstimanda sit eximia perfectio, quæ etiam improbos & hæreticos rapiat in admirationem, qualis erat Ioannis, qui ob eam Messias reputabatur à Iudæis, ideoque talis ad eum instituebatur legatio, quæuis ille minimè suam, sed purè diuinam gloriam in sancta illa viuendi ratione quæreret. Concipiendus hinc zelus proficiendi eximiè in omni perfectione, sed purè ad Dei gloriam.

II. Expende profundissimam S. Ioannis humilitatem, qui, cum posset, si voluisset, verus Messias falsò reputari, aut saltem verè Elias in spiritu aut propheta.

pheta, imò plusquàm propheta, vix eò adigi se passus est, vt fateretur, se esse illum, de quo Isaias: *Vex clamantis in deserto, parate viam Domini.* Quid enim fragilius voce, quæ prolata mōx euanescit? quamuis verè Ioannes totus vox fuerit, quantus quantus fuit, vtpote, qui toto corporis habitu, toto animæ conatu, tota externâ conuersatione clamabat, ad pœnitentiam inuitabat, Christo viam præparabat. Quàm pretiosa gemma Humilitas cum vita exemplari?

III. Expende constantem eius modestiam, cum vrgeretur vltèrius respondere, cur baptizaret, rursus Christum exaltat, se deprimat, memor illius: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* O quàm ardens in corde Ioannis feruebat zelus gloriæ Christi, quam altas fibras egerat despicientia sui?

De affectibus à Christo in momento Conceptionis elicitis. II.

I. **C**Hristus, quoad animam in instanti conceptionis beatissimus erga Deum, cuius essentiam diuinam clarissimè videbat, à quo innumera beneficia